



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Scelerati non lugendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

niffrationem ac prudentiam mirabiliter effingant, atque ad rerum vel secundarum, vel adversarum eventus æquo animo perferendos disponant. Musica nos monet, ut sicuti est varietate vocum & fidium, grata & consentiens oritur symphonia, ita omnes animi motus & actiones in dulcem virtutum convenientiam harmoniam. Musicus est veluti Neptunus poeticus (quod infra memorabimus) qui tumida æquora placat, cum ventus ambitionis, ac furentis iracundiæ sævos attollit fluctus: cum moeror subsidit, & furit æstus arenis; cum libido inquietat: cum aliæ perturbatores violentius incitantur, dulci modulamine componit tempestatem; coercetur libido exultans, atque ruens in animi perniciem gloriæ ardor refringitur, implacabilis iræ vis, & cupido ultionis tranquillatur. Davidis equidem plectrum non furentes tantum perturbationes, sed ipsum cacodæmonem est Saule eiecit.

II. (b) Deinde hic docetur neque sapiens, neque pium esse, illorum sceleratorum lugere calamitates, qui divino consilio atque providentiâ propter illatas ipsis Dijs injurias, miseriam patiuntur.

III. (c) Tertio brutis fieri similes, qui immodico luctu ex jactura charorum capitum abrepti, motibus animi temperare aliqua saltem ex parte non possunt: neque ferre nituntur æqua mente, quod statutum divinitus, nullâque potest ratione mutari.

IV. (d) Quarto *cygnea cantio* adagio fertur, & in eos convenit, qui mortem ipsam lætè, & cum cantu excipiunt: nam cygnus in funere suo suavissimè modulari fertur. Martial. lib. 13.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ

Cantator cygnus funeris ipse sui.

Et Ovidius:

Sic ubi fata vacant, udis abjectus in herbis

Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Cygnum imitantur, qui extremum vitæ actum suaviter claudunt, moriendique necessitatem in virtutem vertunt. Qui, ut Cygni (quod Tullius ait in *Quæst. Tuscul.*) prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur. Pro Dijs immortales, (idem exclamat) quàm illud iter jucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! *Pretiosa mors Sanctorum*, ait Psalter regius ps. 115. Nam, ut Bernardus loquitur, mors est finis laborum, consummatio victoriæ, janua vitæ, perfectæ securitatis ingressus. Et serm. 41. ex parvis: Bonorum mors optima, quoniam fit ibi quies à laboribus, fit jucunditas

(b) Scelerati non lugendi. (c) Moderandus luctus. (d) Mors bona.